

Visita Roberto Cavalcanti (24 febbraio 1443)

Reverendus pater dominus episcopus suprascriptus visitavit plebem s. Johannis de Bibona, que in loco situata est deserto. Cuius plebanus est dompnus frater Michael Stefani ordinis et conventus s. Michaelis de Formicis vulterrane diocesis. Corpus ecclesie in totum est discopertum, et non sunt nisi quatuor facies muri, et nichil est in illa nisi una pila pro sacro baptismate. Et altaria in illa discoperta sunt. Et asque campanis. Itam visitavit ecclesiam s. Petri curie Bibone, cuius rector est frater Michael plebanus suprascriptus. Ecclesia in omni sua parte minatur ruinam, et in pluribus locis discoperta est. Item visitavit abbatiam sancte Marie de Magis curie Bibone. Cuius abbatie ecclesia satis pulchra est et coperta, licet tamen in solitario loco sit et deserto. In altari maiori pulchra est tabula, et maius altare coopertum, et una campanula in campanili. Domus habitationis ipsius abbatie est in totum ruinata et dishabitata. Dicta habbatiam tenet quidam.... (manca il nome) Item visitavit ecclesiam s. Cristofori curie Bibone, que rectore caret et discoperta est in totum, et nichil in illa manet, et in loco est solitario et deserto, et nichil, ut dicitur, possidet in bonis. Item visitavit ecclesiam s. Filippi, cuius rector est ser Ottavianus Andree presbiter de Vulterris. Ecclesia collapsa est in totum, una cum muris et tecto, et nichil in illa manet nisi altare discopertum. Dñe XXV mensis Februarii reverendus dominus episcopus suprascriptus visitavit ecclesiam s. Ylarii in castro Bibone, cuius rector est frater Michael Stefani suprascriptus. Corpus ecclesie satis pulchrum est, sed tamen corum male paratus sedibus et non mattonatus. Trabes unus dicte ecclesie minatur ruinam. Corpus Dominicum manet in loco non bono neque malo, in tabernaculo tamen satis decenti. Fons Baptismi male stat. Altare maius satis bene copertum cum tabula pulchra in illo. Ecclésia non habet sacrarium. Est in illa missale unum triste admodum antiquum, cum aliis quampluribus libris veteribus et male gubernatis. Ecclesia non habet breviarium, sed rector habet. Sunt in illa duo calices, quorum unus ruptus est, cum patenis. Corporalia immundissima. Ecclesia pessime fulcita paramentis. Facies ecclesie per totum sunt plene foraminibus. Sunt in ecclesia altaria duo, non dotata et male coperta. Item visitavit ecclesiam s. Andree in castro Bibone, cuius rector est ser Ottavianus Andree presbiter de Vulterris? Que ecclesia in omni sua parte minatur ruinam, et male stat ab intus et ab extra.